

DIALOGUS XXXX.

De Fide, itemque de Juventa.

PUBLIUS.

Numus tuus decimus nonus antenorem iterum
 Deam sistit, stolatam stantem, dextra elata catinum fru-
 gibus plenum, lava demissa spicas deferentem, cum lem-
 mate : FIDEI PUBLICAE. Mihi porro *Hadriani* est
 Numus æreus medius, huic simillimus, hoc solo discrimine, quod
 hæc Dea fruges lava, spicas dextra gerat, nihilque adscribitur,
 nisi : COS. III. tium *TULL.* Numum a me pictum protulit *Aen.*
Vicus ære Domitiani 30. mo Idem vero aere *Vespasiani* 7. mo Deam stan-
 tem exhibet cum Cornucopiæ, dextra vacua extenta, quasi eam
 cum altero comittere vellet, addito elogio : FIDES PUBLI-
 CA. Rursum Ære ejusdem 14. to pinxit manus commissas, cadu-
 ceum simul, spicasque junctim gestantes, cum epigraphæ : FI-
 DES PUBL. *Montfalconius* magnum *Plotinæ* Numum ex *Angelono*
 delineavit Part. II. Tab. 210. n. 14. ubi Dea æque cum catino
 frugum, spicisque adstat, apposito lemmate : FIDES AUGU-
 STI. Apud *Argelatum* recensentur Numi *Balbini* ac *Pupieni*, ubi
 circum dextras commissas leguntur lemmata : *Fides Mutua*, *Pietas*
mutua, *Caritas mutua*, *Amor mutuus Augg.* De Numis Part III. Tab.
 II. n. 2. 3. 4. a me pictis, cum *Fide Exercitus*, *Militum*, *Legionum*,
 nihil hic repeto. Satis est, *Fidem* apud omnes hominum status
 in omni propemodum actione mutua intervenire debere.

I.
 Tab. VII.
 N. XIX.

Habuit hæc Dea Aedem Romæ in Capitolio juxta *Dionysium*
Halicarnasseum, a *Numa Pompilio* primum constructam, postea
 instauratam, per quam sacrosanctum Jusjurandum fiebat. Hinc
Cicero : „ Qui igitur jusjurandum violat, is *Fidem* violat,
 „ quam in Capitolio vicinam *Jovi Opt. Max.* ut in *Catonis Oratio-*
 „ ne est, Majores nostri esse voluerunt, „ Idem alibi quoque

II.
 L. II. P.
 134.
 Officior.
 L. III. c.
 29.

De Natur. Deor. L. II. c. 23. ajebat: „ Tum res ipsa , in qua inest vis major , sic appellatur , „ ut ea vis nominetur Deus : ut *Fides* , quam in Capitolio dedi- „ catam videmus proxime a M. Æmilio Scauro. Ante autem „ ab Attilio Calatino erat *Fides* , consecrata. „ Sacra *Fidei* abs- que cæde , ferro , & sanguine fiebant , manibusque Sacerdo- tum involutis , ob Secretum servandum ab iis , qui mutuam fidem darent. Hinc *Luc. Apuleius* exclamabat :

Metam. L. III.

Sed prô Juppiter , & secreta *Fidei* Numina !

Albis vestibus erat hæc Dea ob candorem sinceritatis in animo fideli. Quapropter est illud *Horatii* :

Libr. III. Od. 35. v. 25.

Te Spes , & albo rara *Fides* colit
Velata panno.

Libr. II. c. 23.

Athenis quoque *Fides* tam Templo colebatur , quam amplius mo- ribus , datam fidem nunquam fallentibus. *Velleio* quippe *Pater- culo* teste , *Atheniensium Fides* in Romanos tanta erat , ut hi semper , & in omni re , quidquid sincera fide peteretur , id *Attica* fieri fide prædicarent.

III.

PUBL. Elegantius hoc sonat , ac scomma illud : *Cretenses semper mendaces*. Verumtamen inter omnia , quæ mihi de *Fide* peregredite attulisti , necdum audii , quod primum cupiebam , quid huic *Dæ* cum spicis , ac frugibus , ut eam *Cereris* , vel *Abundantia* loco habere liceret ? *TULL.* Non habeo de hoc cujusdam Veteris testimonium. Celeberr. *Montfalconius* dixit , mille modis affinitatem *Spicarum* , & *Frugum* cum *Fide* posse repræsentari , quod vero aliis excutiendum relinquit. Hariolari nolebat , ne falleret : sic & mihi pariter libet. Quid enim referes certi , cum dixerot tibi , videri mihi , *Quirites Fidei* dedisse fruges in manus , ut *Fidelitatis* dulcedinem sapore gustuque fructuum innuerent. Sive , ut edocerent , veram *Fidem* non flores duntaxat inanum promissorum , sed fructus operum præbere. *Fidelitatem* deinde vitæ hominum sociali atque civili rite agendæ fere pariter , ac panem , qui e spicis venit , naturali Vitæ sustentandæ , necessariam esse.

Hi-

Historiam si spectes, regimenque Politicum, opinari forsitan posses, dum Augusti fidem suam de Annona procuranda, sive liberaliter elargienda, probe liberassent, hujusmodi Numis *Dex Fidei*, Caesarumque in eam religioni, grates publicas fuisse persolutas, ac testimonium perhibitum: Vel etiam Principibus tam bonis vicissim *Fidem* Populi publicam diligenter servandam, grati animi significatione per hujusmodi tesseras obaratam fuisse. Tu porro quodvis aliud, in rem tibi occurrens, per me liberissime arbitreris. Non semper *Fidei* fruges additæ: *Monticoonius* in monumento quopiam Columbam in manu ejus observavit.

PUBL. Numus tuus *Vicesimus*, & ultimus, quo omnem chorum Divinum concludis, æris medii apud me Numum *M. Aurelii* adhuc *Caesaris* redhibet, cum patera, ut videtur, in læva Deam sistens adstantem, quæ dextra extenta in aram altiore, si ara sit, candelabro certe, aut carbonæ arariæ similior, thus, vel Numum, aut aliud quidpiam immittit. Epigraphe: *JUVENTAS*. Ecce non *Juventus*? *TULL.* Utrumque tam in Numis est, quam apud vetustos Auctores. *Livius* quidem scribebat *Juventus*, inquit: „*Juventutis* Aedem in Circo maximo *Licinius Lucullus* Duumvir dedicavit. „*Plinius* vero de *Nicomacho* prædicabat: „Pinxit hic raptum *Proserpinæ*, quæ Tabula fuit in Capitolio in „*Minervæ* Delubro super Adiculam *Juventatis*. „ Quæ causa fuit, cur *Cl. Harduinus*, qui *Plinium* undique habet Oraculi loco, in hoc Numo tuo, quem pariter argenteum existere laudat, a se quoque picto, non sit ausus, hanc voculam *JUVENTAS* dissolvere, licet alias in pura dialecto Romana tam religiosus, ut ne minimam exerrantem literulam toleret. Dum tamen ait, *Aurelium* *Caesarem* hic celebrari, quod *Republicam* pie administret, *Antonino Pio* Seni adjunctis, & vigore animi, ut robore corporis instructus a *Natura*, quæ horum in *Juvenibus* largitrix, *Juventa* nomine laudata fuerit, nihilominus est singularis.

Certe enim *Juventas* Dea fuit: de qua etiam *Publ. Victor* in Descriptione Urbis Romæ Regione Octava prope Capitolium: *Delubrum Minervæ*, *Aedicula Juventa*. „ Hinc pariter „ *Divus Augustinus* retulit: *Juventas* Dea fuit, quæ post prætextam excipiebat *Juvenilis* ætatis exordia. „ *Græco* Nomi-

IV.

V.
Tab. VII.
N. XX.Libr.
XXXVI
Cap. 36.
Libr.
XXXV.
Cap. 10.Tom. II.
ad pag.
700.VI.
De Civit.
Dei L. IV.
Cap. 23.

ne, juxta *Homerum*, dicebatur *Hebe*, filia *Jovis* & *Junonis* eximia pulchritudinis, pocillatrix Patris, dum is pranderet, constituta, donec aliquando cum poculo prolapsa, hoc munere exciderit, *Ganymede* sibi substituto. Interim ab *Hebe* nomen *Ephebi*, quod adolescentibus dabatur, deductum existimabatur. Porro juxta *Dionys.* *Halicarnasensem*, ex instituto *Servii Tulli* Regis, Pueri neonati Albo *Deæ Lucinae*, tenere autem denati tabulis *Veneris Libitinae* inferi debuerunt. Adultis vero constitutum, ut posita prætexta juvenili, quod anno decimo quinto, aut sexto communiter fiebat, in publico foro donati Toga virili, ducerentur in Capitolium, & abinde in Aedem *Juventa*, ibidem donalibantes: tum domum reducti, bullam auream hæctenus deportatam, Penatibus obtulerunt.

VII. Hujusmodi libamentum, *Deæ Juventa* factum vel ab ipse *Aurelio*, vel pro eo a Juventute Romana, cujus ipse Princeps erat, quod eum ad fastigium *Caesaris* incolumen servaverit. Pluries hunc Numum editum recenset *Argelatus*, figura fere semper pari, nisi, quod bis legatur *Juventus*, primum circa ipsum *Aurelium* stantem cum ramo lauri, sceproque militari prope tropheum: deinde intra Sertum laureum. In *Caracalla* adhuc *Caesaris* Numo apud eundem, circum hunc Principem, cum hasta, & orbe, imposita *Victoriola*, stantem, assidente captivo scribitur: JUVENTA IMPE-
RII. In cujus alio Numo huic *Caesari* tribuitur elogium insolitum: *Destinato Imperatori*: quod est interpretatio vocis *Caesaris*. In *Galieni* Numo est: JUVENTUS AUG. Item in Numo *Claudii Gothici*.

VIII. Jam porro, lectissime *Publi*, Actum hunc IV. tum *Ludi* nostri *Numarii* favore *Superum* iterum claudo, ubi *Numi* centum sex atque triginta, penicillo meo in *Scenam* deducti, & multo plures commemorati, pariterque expositi, sat commodum tibi specimen *Religionis Augustorum* præbebunt. Tantæ amplitudinis a gumentum, ordine digestum, in compendium cogere, quod quidem parvi *Libri* molem exæquare debuerat, majoris operæ forsitan fuit, ac omnis ejusdem explanatio. Fateor, infinitos inter *Deos*, *Deasque*, quamplurimos adhuc alios ab hic pertractatis, in vasta *Numorum* supellestili comparere; ita, ut celeberrimus *Montfalconius*, præter a se exhibitos, adhuc tamen prolixos duos *Catalogos* minorum
Nu-

Numinum, primum Græcorum, deinde Romanorum, contexere potuerit. Sed si vel hic tractata volveris, ac revolveris diligenter, idololatricæ fatuitatis vices infelicissimas affatim intelliges, quodque noyum tibi occurrerit, ex laudatis a me Scriptoribus plenius requirere nullo negotio valebis. Quæ supersunt nobis Partes, V. ta de *Votivis Populi studiis in Augustos*, & VI. ta de *Consecrationis Augustae delirio*, cum sint argumenti longe brevioris, proxime una quasi fidelia, certe unicolibello poterunt absolvi.

PUBL. Perpendo arduos alios labores tuos, quibus distringeris, quantumque gratulor mihi, tantum admiror, quod præsentis Opusculo studiose adornando te tam liberalem ostenderis. IX.

Egregie satisfacisti votis meis, immo supra spem quoque meam egisti. Pro quo equidem omni te ingenio prædico, Tulli Venerande, totoque te animo diligo : Vale.

